

D
7

D



AD TRIGAM
FRATRUM
TRIERORUM

PARENTEM OPTIMUM LUGENTEM:

M. LUDOVICUS CHRISTIANUS CRELLIUS.

P. P. E. S. N. R.

LIPSIAE, IMPR. CHR. FRID. RUMPF.

*Qui desiderium patriae in se relinquit
Grande S.V. tunc patrem dolet ipsa mori.
Aque boni in te omnes, quocumque metalli
Hic agnovit nobilioris opes,
Quis duci meris, Pater, quis, ante, quis
Solebat, argenteo candidior fidei
Integritas, niveis in canis pueris in pennis,
Pectore que ipsius sedem habuere iuani;*



Ara Patris soboles mihi perdilecta Triër!
Tres Charites, *Fratrum triga Colenda* mihi.
Ergo *Patrem* celeri subtractum turbine Fati
Heu præmaturo funere obiisse, doles!

Ergo *Patris* subito mox impete Fata secutam
Illius uxorem caram abiisse, doles!

Et qui non doleas tam fausto foedere junctos
Ad vitæ cursum, mortis inisse viam?

Heu qui non doleas sancta quod mente Parentem
Abstulerit Fato præcipitata dies?

Qui desiderium Patriæque suisque reliquit
Grande SUI, virtus quem dolet ipsa mori.

Atque boni lugent omnes, quotcunque metalli
Heic agnoverunt nobilioris opes,

Queis ducti mores, *Pietas* queis, aurea virtus
Splenduit, argento candidior *fidei*

Integritas, niveisque micans *prudencia* pennis,
Pectore quæ ipsius sedem habuere suam:

Cumque ipso terras atras liquisse videntur
Has, ubi nunc *pietas* aret & alget *amor*.
Sed doluisse *Patrem* quid profit, flere jacentem
Quid juvet? *Hunc* potius restituisse decet.
Ergo *tribus Fratrum triga* huc *virtutibus* alnum,
Quantum est in vobis, quaeso, referte *Patrem*!
Vos o quos *trinæ virtutis*, quosque bonorum
Hæredes liquit, quaeso referte *Patrem*!
Scilicet hoc agitis: *Patriæ* vestigia dudum
Virtutis premitis, sicque refertis eum.
Est *pietas*, est sancta *fides*, *prudencia* vobis,
Et legum, curæ est, lumina sancta sequi.
His *tribus ætherias* revocare ad luminis auras
Sustineas *Fratrum strenua triga Patrem*!
Exæquent alii *Fabios* virtute, *Camillos*
Marcellosque animis; *Vos* reparate *Patrem*.
Majus *Romana* virtute hic instar habebat,
Ima cui *Christi* sensa regebat *amor*.
Nec meliora *Parens* sacratae imitamina vitæ
Quam per *tres natos* possit habere suos:
In *trinis triplex* renovata *Parentis* imago
Et virtus vivax terque quaterque viget.
Trinaque virtutis spirantia signa *Paternæ*
Optima, *tres nati*, sunt monumenta Patri.
Longius hi extendunt æternæ nomina famæ,
Quam vel *Mæoniæ* proxima *Musa* tubæ.



JAM. CLAUSULAM. CARMEN. POSCIT.
 ACCIPITE. UTILEM. AC. SALUTAREM.
 QUAM. VOS. INFIGERE. ANIMO. VOLO.
 E. SENEC. EP. XI.
 ALIQUIS. VIR. BONUS.
 VOBIS. ELIGENDUS. EST.
 ET. ANTE. OCULOS. HABENDUS.
 UT. SIC. TANQUAM. ILLO. SPECTANTE. VIVATIS.
 ET. OMNIA. TANQUAM. ILLO. VIVENTE. FACIATIS.
 ALIQUEM. HABEAT. ANIMUS. QUEM. VEREATUR.
 CUJUS. AUTORITATE. ETIAM. SECRETUM. SUUM.
 SANCTIUS. FACIAT.
 O. FELICEM. ILLUM. VIRUM.
 QUI. NON. ADSPECTUS. TANTUM. SED. ET. COGITATUS.
 REGIT. JUVAT. EMENDAT!
 O. FELICES. ILLOS.
 QUI. SIC. ALIQUEM. VERERI. POSSUNT.
 UT. AD. MEMORIAM. QUOQUE. ILLIUS.
 SESE. COMNONANT. ET. ORDINENT!
 QUI. SIC. ALIQUEM. VERERI. POTEST.
 CITO. ERIT. VERENDUS.
 ELIGITE. ITAQUE. VOBIS. CATONEM.
 SI. HIC. VIDETUR. NIMIS. RIGIDUS.
 ELIGITE. REMISSIORIS. ANIMI. VIRUM. LAELIUM.
 SIVE. QUOD. EGO. ADDO.
 ELIGITE. EUM.
 CUJUS. VOBIS. VITA. UT. VITÆ. CAUSA. FUIT.
 ITA. REGULA. ESSE. OPTIMA. POTEST.
 VITÆ. EXEMPLUM. VOBIS. ELIGITE.
 PARENTEM. OPTIMUM. INTEGERRIMUM. SANCTISSIMUM.
 ILLIUS. ANIMUM. ANTE. VOS. FERENTES.
 UT. VULTUM. FERTIS.
 ILLUM. SEMPER. VOBIS. OSTENDITE.
 VEL. CUSTODEM. VEL. EXEMPLUM.
 FELICES. VOS. SPONDEO.
 SI. AD. EJUS. IMAGINEM.
 MORES. VESTRI. SE. IPSI. EXIGANT!
 FAXIT. DEUS. FELICITER!
 SCRIBEBAM. LIPSIAE.
 V. KAL. AUG.
 A. c1o 15cc XII.



[Blank white label]

[Blank white label]